



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Præparatio locorum curationis publicæ. Cap. XII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

tur; omnes, & singuli, quibus subueniendum erit certo libro, rectè ordineque describantur. Qua in re monasteriorum etiam, & piorum collegiorum, tam virorum, quam fœminarum, ac pauperum Clericorum ratio habebitur, quibus necessario eo tempore aliquid in eleemosynam conferendum erit.

Tantum verò absit, ut inopes, & pauperes, pro quibus etiam Christus Dominus sanguinem profudit, è ciuitate, oppidis, pagisue, ab omni ope de destituti exturbentur, ut non modò aliorum, sed mendicantium etiam ratio habeatur, ea scilicet, ut in vnum locum congregentur omnes; vbi, cum alimenta corporis, tum maximè omnia adiumenta spiritalia suppeditentur.

6 Parochi etiam, vbi instituta non est, in sua quisque regione Parochiali, confraternitatè, scholamue hominum, charitatis nomine, Episcopali auctoritate instituent. Cuius confraternitatis erit, necessario illo tempore, & eleemosynas colligere, & cetera charitatis officia obire, ac præstare, quibus pauperes, & egentissimi homines subleuentur.

7 Instabit præterea Episcopus, ut iidem Magistratus medicos certos conducant, cõscribantue, ac paratos habeant, qui peste laborantes curet.

Chirurgos, tonsoresue certos deligant, qui venam secent, medicamentaue apponant.

Medicamenta, resque ad eorum victum necessarias parent, ac subministrent.

Famulos, famulasque & alios homines caritate Christiana predictos conquirant, qui operam, curationisue sollicitudinem eisdem nauent.

Obstetrices certas habeant, quæ partum mulierum, peste agrotantium, eoue nomine suspectarum excipiant.

Nutrices item certas ad eorundem liberos lacte alendos.

Caprarum etiam certum aliquem numerum ad lactis eisdem præbendi vsum, si quando nutricum copia non datur.

Vespillones item, quos Monattos dicunt, plures conducant, quorum alij illa officia præstent, quæ à contagio integra sunt, & ab omni suspitione vacua: alij sint, qui peste affectis se duces, ac ministros præbeant; qui mortuorum corpora sepeliant; qui infecta domicilia expurgent & pannos itidem infectos, & alia id generis exequantur.

### Præparatio locorum curationis publicæ. Cap. XII.

#### S V M M A R I V M.

- 1 Loca publicæ curationis complura; & qualia.
- 2 Eorundem distinctio.

Situs

- 3 Situs eorum, & qualis. 4.  
 5 Tuguriorum exstructio.  
 6 Crucis erectio.  
 7 Capellarum edificatio: quæque illarum forma: 8.  
 9 Sacerdotum constitutio. 13.  
 10 Victualium illis, suppeditatio; & à quibus, & cuius opera. 14. 15.  
 11 Domicilium Sacerdotale, & situs. 16.  
 12 Cæmeterij constitutio, & situs.  
 13 Capellarum supellex.  
 15 Episcopi officium cum Magistratibus de Victualibus præstandis.  
 16 Ecclesiasticorum hominum, & quorum domicilia alia.



Demos publicas hospiales, locauè complura, am-  
 pla, & distincta, quæ, alia scilicet peste affectis,  
 alia eo nomine grauiter suspectis, alia minus su-  
 spectis, alia conualescentibus vsui sint, apparent,  
 necessariaque supellectile instruant.

Quæ distincta partim peste tabescentibus,  
 partim suspectis, partim ministris, tum in re ci-  
 baria, tum in lectisternijs, tum in pannorum purgatione, & lotionem  
 vsui sint.

Vestes præterea, & lectisternia ad commutationis vsum parent illis,  
 qui, vel à peste conualescentes, confirmatiuè, aut à suspitione planè  
 libri, inde migrant.

3 Situm etiam tuguriorum ad multiplicem illum vsum deligant, &  
 præfiant. Qua in re etiam, atque etiam caueant, ne loca, ædes, do-  
 micilia, aream, ac situs vltos quicumque sint, qui ad Ecclesie, lociue pij  
 cuiuscumque ius pertinent, vsurpent, occupent, impediant, aut aliqua  
 seruitute implicent, nè ad breue quidem tempus. Quod si aliquo mo-  
 do attentent, id nè committant, Episcopus inhiabit, atque interdicit.

Si verò nullo modo aliunde situs, locauè haberi possunt, sed ad eam  
 rem necessario vsui Ecclesiastica sunt: tunc ei, vel Ecclesie, vel loco, cu-  
 ius sunt, scriptis publicis, à notario, rectè, ritèque confectis, omninò ca-  
 ueatur, vt quicquid dani, detrimètiue eo nomine fecerit, id resarciatur.

4 Qui situs amplius sit, vt ægroti à grauiter suspectis, hi à leuiter su-  
 spectis, qui etiam à conualescentibus separatim, aliquo scilicet interie-  
 cto sepimento, habitare possint.

Loco sit non humido, non vliginoso, sed editiori, & aprico, sicco, &  
 salubri. Propè aquam fluentem sit, non torrentem tamen, vnde in-  
 undatio, eluuiouè aliquando extare possit.

Extrà urbem, oppidum, pagumue, loco tamen propinquo, & com-  
 modo

modo, ut adiumenta ad animæ curationem, & corporis usum, aliaque caritatis officia, atque subsidia facile, & opportunè illis subministrari, ac præstari possint.

Parent item materiam omnem, quæ idonea, quæque satis sit, ad tuguria, capellas, & domicilia, in eo situ benè exstruenda, ut infra.

5 In eo situ, cum tuguria exstruenda erunt, hoc videant, & studeant.

Ut ita vel densissima palea, vel tabularum sectiliâ apta inter se commistura struantur, ut ab omni, aut pluuie, aut venti impetu, turbine, iniuriæ temporis tuta sint.

Ut ordine recto collocentur, & si fieri potest, ab parte anteriori, ad septentrionem versus, vel in aliam partem salubrem spectent.

Ut singula, quò magis ab omni vligine, humiditateque defendantur, exiguo riuulo cingantur, per quem aqua pluuia ex eorum calmine defluens, aliò extra illorum situm deriuetur.

Ut eorum solum subiectis transuersis lignis, aut tabulis, palea insuper multa stratis, ab humo altius saltem tribus palmis extet.

Domicilia, seu casas extra septa tuguriorum parent ad usum laicorum præfectorum, curatorum, custodum, & ministrorum.

Loca item distincta lauationis, & purgationis vestium, & pannorum cuiuscumque generis.

Habitationem item distinctam, ad eorum usum, qui illis purgandis, abluendisue operam nauabunt.

Supellectilem etiam necessariam supra demonstratam, necessariaque instrumenta præparent ad horum locorum publicæ curationis usum.

Prospiciant quoque nè peste ingrauescente, palea defit, ad quotidianam tuguriorum subministrationem.

6 In omni autem domo hospitali, publicouè tuguriorum loco, tum Crux alta, curante Episcopo, benè firmiterque humi suffixa erigetur loco medio, eoque editiori, & conspicuo: tum ea in primis ratio habeatur, ut si ibi capella ex pariete iam non est, ea cum Altari ex tabulis sectilibus, & asseribus exstruatur.

7 Immo verò ubi plures Sacerdotes constituendi erunt, si minus totidem capellæ, at saltem duæ omninò exstruantur.

8 Atque in earum quidem exstructione hæ rationes mox infra demonstratæ adhibebuntur.

Situ eminentiore struantur, ab omni que parte conspicuo, ut qui in tuguriolis, cellisue sunt, ab eorum ostio, quò ad eius fieri potest, Sacerdotem celebrantem prospiciant.

Eo præterea loco sint, si fieri potest, ut qui foris sunt, ministri, famuli, custodesue, Missæ etiam sacrificium aspiciant.

Erunt

Erunt item forma, quæ quadri speciem exhibeat, longè, latèque brachia sex, aut minimum quinque patebunt.

Partes autem à latere ad ingressum capellæ versùs, ampliores etiam fiant licet, usque adeò, ut pars anterior latè patens sit, brachia octo, aut rectè septem.

Pavimentum capellæ à tuguriorum solo altius extabit brachia quattuor, vel quinq; : ad cuius altitudinè ascensus fiet gradibus ligneis, ut Sacerdos celebrans è tugurijs paulò remotioribus prospici rectè queat.

Ligna verò, tignaue, quibus vapellæ structura sustentatur, ità firma, solida, fixa, atque inter se benè, aptèque compacta erunt, ut ventorum impetu, ac vi non modo non corruat, sed nè habascat quidem.

Ab omni latere capella fenestram cum valuis habebit, per quã Missæ sacrificium spectetur, cum sudum, serenumue erit : alioqui valuis occludetur, ne ex vento, pluuia, iniuriaue temporis, aliquid incommodi, indecori, offensionisue accidat. Quæ verò fenestra à parte posteriori Altaris struetur, si quando struetur necesse est, ab Altaris superficie extabit altius vno brachio.

Pars anterior illius capellæ ità exstruetur, ut fera, clavi, pessulo, veste, & valuis benè firmis instructa, à furti, rapinæ alteriusue iniuriæ periculo nuda sit, quò cautius sacræ vestes, sacraque vasa ad Missæ cultum pertinentia in capella seruentur; & sanctissimum etiam Sacramentum, quod ministrandum est ibidem custodiatur.

¶ At verò vbi certus Sacerdos, qui assidue assistat spirituali tuguriorum curationi, non constituetur, tunc capella non intra, sed extrà eorù fines, loco paulò remotiore, ità procul struetur, ut Sacerdos, aliunde accessurus, qui ibi Missæ sacrificium celebret, à contagionis periculo, ac suspitione tutus, pestilentie lege, ab Episcopo præscripta, non debent statos illos dies separatim ab aliorum vitæ commercio manere.

10 Vbi Sacerdotes constituentur, qui præcipue illis tuguriorum locis in cura spirituali inuigilent, domicilium eis parabitur loco finitimo, ac segregato aliquantulum à tugurijs; & ut fieri potest, ab alijs domicilijs incolarum, propè habitantium.

Si verò tale domiciliũ, lapidibus exstructum inueniri non potest, ex tabulis scetilibus, asseribusue fiet loco nõ longè à positura capellarũ.

At si quando illud Sacerdotum domicilium à finibus tuguriorum aliquantulum aberit; eorum unicuique parabitur etiam propinquiori loco tuguriolum forma decenti, ex tabulis scetilibus, paleisue confectum, ubi interdũ per pluuiam maneat, & cibum, ac somnum aliquando capiat, quò diligentiori assiduitate curæ sibi commissæ incumbat.

Domicilium Sacerdotale tale omninò erit, ut in eo Sacerdos separatim à Clerico habitare possit, itidemque ab alio Sacerdote, si plu-

res.

resibi constituendi erunt.

**11** Si ad mortuorum sepulturam cæmeterium Parochiale & alia antiqua cæmeteria, loca uè sacra ab Episcopo ad eum usum constituta, satis non fore existimabitur, situs alius parabitur, qui tuguriorum loco finitimus sit, qui que peste ingrauescente mortuorum numerum capiat; & appositus præterea sit, ut pariete cingi, & ubi aliquando deinceps extrui sacellum commodè possit.

Situs hic & ab Episcopo ritè consecrabitur, & firmissima sepe saltem, aut densis asseribus, aut macerie vndique ità cingetur, ut & lupis, & reliquis bestiis aditus omninò obstruatur.

**12** Capella vnaquæque ubi Sacerdos constituendus erit, instruetur hac supellectile; ut potè lapide sacro, calice, patena, cruce, & alia præterea sacra imagine, candelabris binis, vestiù apparatu ad Missæ usum necessario, & mappis itè eo numero, ut suo tēpore commutari queant.

Habebit præterea vasculum aquæ sanctæ, aspergillum, & tintinabulum.

Superpellicea etiam numero saltem totidem, quot Sacerdotes sunt, & quot item Clerici.

Laternas item quattuor cum cereis: quæ ad sanctissimi sacramenti, cum fertur, cultum adhibebuntur.

Pixis etiam comparabitur, & tabernaculum ligneum, ubi sanctissimum sacramentum custodiatur, & umbella item, quæ saltem exigua, ab vno tantum homine gestetur.

Sacri olei vas etiam sit, ad usum ministrandæ extremæ vnctionis.

Libri rituales sacramentorum totidem, quot Sacerdotes.

Nec porrò supellex etiam, quod ad mappas attinet, conduplicabitur, ubi Sacerdotes plures residebunt, prout erit eorum numerus, saltem, quæ attinet ad mappas, & vestes.

Feretrum præterea, vnum, duo, plurauè.

Pallium etiam præcipuum apparabitur, quod ad efferenda corpora eorum, qui peste mortem obierint, vsui erit; & plura item; eaquè loco distincto, & separato ab omni alia supellectile, asseruabuntur.

Armarium sub Altari extructum, ad usum asseruandi supellectilem sacrarum Missæ vestium.

**13** Hospitalibus domicilijs, locis uè tuguriorum, ubi hominum exiguus numerus, peste irruente, collocandus erit, Sacerdotem saltem vnū Episcopus præficiet: ubi verò aliqua multitudo, duos, atque adeò plures, pro multiplici varietate, & multitudine illorum, qui eò perducendi erunt; ut vnus peste affectis, plures uè etiam, si quando morientium multitudo plures postulat, alter suspectis; alius minùs suspectis, vel conualescentibus, vel ministris quoque operam spirituale nauet: eamque

que ob causam omnes in locis curationis resideant, assidueque sint, quibus singuli Clerici adiungentur, qui eisdem in Missæ sacrificio, alijsque functionibus ministrent.

14. Iis Sacerdotibus, & Clericis, quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, suppeditabuntur à ministris publicis ex eo sumptu, unde alimmenta alijs præbentur, qui in eadem hospitali domo, locouè sunt.


15. Cum eisdem magistratibus, & decurionibus Episcopus aget, ut nihil denique in sumptibus faciendis, alijsque officijs præstandis præmittant, aut negligant: ut omni externa cura omnique externa administratione opportunè prospiciant imminentiùs necessitatibus. Id porro studium cum laudabile est, ac nomine Christiano, & commemorabili pietate dignum, tum planè necessarium.

16. Episcopus præterea certas domos, aut domicilia, locouè ampla, & à cæteris distincta parari studebit, quæ vsui esse possint, aut Ecclesiastici ordinis hominibus, qui præsertim collegiatim viuunt, aut monialibus, aut ijs, qui in hospitalibus curantur, si fortè pestis in monasteria, hospitaliaue loca inuaserit. Ad quæ domicilia, locouè, vel ij omnes, qui in pestem, suspicionemue inciderint, perducantur, asportenturue; vel contra fiat, ut scilicet peste affectis remanentibus, ad illa ipsa domicilia cæteri benè valentes & ab omni suspitione liberi, qui sunt eiusdem vel collegij vel monasterij, vel hospitalis ædis, habitatum veniant, nè illorum contagione inficiantur.

Officia, ipso pestilentia tempore ministranda, & constans in primis ministratio. Cap. XIII.

## S V M M A R I V M.

- 1 Pestilentia tempore ab Episcopo sollicitudo laboriosior adhibenda: quæque officia tunc ab illo præstanda cum Parochis, Sacerdotibus, Magistratibus, populo.
- 2 Parochi & constantia, & quibus argumentis, ac rationibus illam Episcopi & sibi comparent.
- 3 Eorundem ardentior caritatis zelus, multorum sanctorum exemplo.
- 4 Populi constantia, & officia.

1  Vm pestilens contagio, vel in ciuitate, vel in aliquam eius partem uel in Diocesim, eiusue locum aliquem sese infuderit, eò diligentior cura, & sollicitudo laboriosior proposita Episcopo erit, quò grauius, certiusque periculum fidelibus, suæ curæ commissis, instat.

Paro-